



Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

III. Quod si filius patris sponsam cognouerit, pater vero eam non, ea
viuente aliam poterit habere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

nitentia vel extra, debitum, si exegerit, soluere. Sane si aliquam vxoris suae consanguineam, quæ illi in tertio gradu vel deinceps contingat, carnali commixtione cognoverit, non est propterea diuortium inter eos celebrandum: sed delinquenti, secundum qualitatem personæ & criminis, est poenitentia iniungenda.

C A P. II. *Idem.*

Fraternitatis tuæ literas suscepimus, ex quarum tenore perpendimus, quod quidam parochianus tuus A. nomine, cum esset perfectæ ætatis, quamdam puellam in cunabulis despensauit. Procedente vero tempore idem A. matrem puellæ cognouit, & eam in vxorem duxit. Vnde quia dubitas an huiusmodi matrimonium stare debeat, exinde a nobis consilium postulasti. Super quo fraternitati tuae duximus respondendum, quod si memoratus vir matrem præfatæ puellæ, antequam puella illa annum septimum impleisset, accepit in vxorem; matrimonium non disoluas, sed eumdem virum præfatam mulierem sicut uxorem libere tenere permittas, cum huiusmodi dispensationes nullæ sint, quæ in cunabulis factæ sunt. Verum si postquam præfata puella septimum annum compleuit, prædictus vir matrem eius accepit in uxorem, cum extunc sponsalia placere consueuerint, inter eos sententiam diuortii non differas promulgare, nec ipsum filiam sive matrem in uxorem habere permittas.

C A P. III. *Idem Tullenſi episcopo.*

Præsentium lator P. cum literis tuæ fraternitatis ad præsentiam nostram accessit, ex quarum tenore innotuit, quod pater eius quamdam iuuenculam sibi despensauit, ipsumque tempus ut illam adduceret, destinauit. Sed ipse diabolico instinctu sponsam patris sui, licet vxoratus, carnali commixtione corruptit. Cumque patratum scelus ambo celarent, pater ignarus commissi sceleris, ad sponsam suam secundum morem accessit. Tum is de diuina miseratione compunctus, ad præsentiam vestram accessit, & crimen, quod illicite commiserat, humiliter est confessus. Mulier vero interrogata, prius negauit: sed postea discussione cautius facta, eamdem culpam confessione propria pate-

ANNO CHRISTI
1179. patefecit. Quodcum patri eius innotuisset, vehementi dolore commotus, ad te pro consilio venit. Constitutis igitur in facie ecclesiae tribus prædictis, licet clerici tui abundantem sensu, diuersi diuersa dantes consilia, vnum tamen omnium consilium fuit, ut super instanti periculo in causa tam difficili apostolicum oraculum adirent. Indicta itaque patri continentia & vxori suæ, filium poenitentem cum literis tuis, rei veritatem confessum, ad præsentiam nostram curasti destinare, quærens tibi formam præscribi, quam in similibus, si forte aliquid tale per diabolicam co-operationem emerserit, deceat obseruari: & quam eis debeat satisfactionem imponere, scripto nostro postulas edoceri. Tuæ igitur inquisitioni respondentes, præsentium tibi significatione mandamus, quod si pater eius postquam rei conscius fuit, vxorem suam carnaliter non cognouit, de priori commixtione leue aut nullum peccatum incurrit: ei tamen viuenti, vel alii, ea viuente, non poterit copulari. Ceterum si sciens facinus, carnaliter eidem mulieri adhaerit, ei septennis poenitentia indicatur: nec illi, nec alii carnaliter de rigore commisceri valebit. Mulieri quoque perpetuam continentiam & quatuordecim annorum poenitentiam duximus imponendam. Lator autem præsentium totidem annis poeniteat. Ab uxore tamen legitima, quam prius habuerat, nisi de communī consensu, nullatenus separetur.

De rigore,
ex dispensa-
tione tamē
ab uxore de-
bitum exi-
get, cum
occultum
fuerit deli-
ctum.

C A P. IV. *Idem Piastauensi episcopo.*

Veniens ad nos lator præsentium P. nobis fraternitatis tuæ literas reportauit: ex quarum tenore perpendimus, quod cum quamdam uxorem duxisset, quidam dissuaserunt ei per mensem, quo eam duxerat, carnaliter cognoscere. Contigit autem, sicut dixit, quod pater iussit uxorem suam, quæ mater erat sponsæ, in lecto huius iacere: quam, diabolo suadente, cognouit: transacto vero mente, tam pater quam alii propinquí coegerunt, ut matrimonium cum sponsa sua consummaret: quod facere noluit, donec tecum super hoc loqueretur. Tu vero audita eius confessione, ipsum cum literis tuis ad sedem apostolicam transmisisti. Tuæ igitur inquisitioni taliter respondemus; quod si occultum esset huius delictum, non posset rescin-

Concil. Tom. 27.

D d d